

BERNCASTELLVM.



BERNCASTELLVM, ad Mosellæ flumen Archiepiscopatus Treuren-
 sis opidum, ante annos retro sexcentos incognitum, Anno Christi circa Mille-
 simum clarescere cœpit, à Poppone Treuren-
 si Archiepiscopo, pulsus inde præ-
 donibus, dirutum atque euersum est. Postea, Friderico Ahenobarbo imperan-
 te, à Comite de Castris occupatum, atque extructa arce, munitum. Mox iterum à
 Ioanne Episcopo recuperatum, ac refarcita quam obsidionis tempore acceperat,
 ædificiorum iactura, floruit ad annum vsq; 1277. quo cum rursus collaba-
 scere cœpisset, primum ab Henrico Secundo, atque inde à Boemundo Treuire-
 sibus Episcopis, arce, muris, turribus, propugnaculis, alijsque id genus operibus fuit exornatū. Quin
 & à Boemundo Episcopo, magnis priuilegijs, ceu opida solent imperialia, donatum est: Quæ deinde
 à Rudolpho, Adolpho, & Alberto Romanorū Regibus publicis comprehensa tabulis, sancita sunt,
 & confirmata.

Memorandum quoque Xenodochium Cusanum in aduersa Berncastelli ripa à doctissimo viro Ni-
 colao de Cusa, Episcopo Brixien-
 si Presbytero Cardinali, à fundamentis inchoatum, & egregijs, atque
 opimis possessionibus instructum, illustre pago Cusano decus addit. Conditoris Anno 1464. Tuderti
 vita functi cor, sub marmore in medio Cusæ templo quiescit. Corpus autem Roma sibi seruaui.

Quia verò iste Cardinalis Cusanus, peculiare Mosellanæ Germaniæ decus extitit, libet hic breui-
 ter commemorare, quæ Guilhelmus Esengrein Spirensis, in Catalogo testium veritatis de tanto viro
 scribit. Nicolaus, inquit, de Cusa, Germanus Treuren-
 sis Diœcesis, ex Canonico Regulari Archidia-
 conus Leodiensis, & Protonotarius Apostolicus, sacræ paginæ Doctor, Presbyter Cardinalis S. Petri
 ad Vincula, titulo Eudoxiæ Brixinensis Episcopus, doctrina, & eloquentia vir clarus, sacrarum lite-
 rarum studijs doctus, & in primis eruditus, Græcæ, Latinæ & Hebrææ linguæ peritissimus, Philoso-
 phus, Rhetor, Astronomus, Poëta, Musicus, & Mathematicus absolutissimus, Historicus celeberrimus,
 qui tantum disciplinarum doctrina excellerebat, vt de visione Dei volumen, Aliud de pace fidei
 conscriberet. In Boemos scriptis inueheretur. De Genesi Commentariolum ederet. Sermones non
 minus doctè quam eleganter ad populum habitos & plura alia Ecclesiæ DEI profutura posteritatis
 memoriæ consecraret. obiit Tuderti in vmbria, pridie Idus Augusti. Anno M. CCCCLXIII. Acta-
 tis LXIII. Cadauer Romam relatum in titulo suo sepelitur.

MANDERSCHET.

MANDERSCHET, ad differentiam eiusdem nominis, dicta superior, in Eiffliâ sita, rupi in-
 sidet, lignis, pro situ & conditione istius loci, abundat, nec locis viniferis caret. de qua in Treuis-
 rensi historia hoc tantū inuenio, Iacobus heroicus & insignis Treuirensis Episcopus A. M. CCCCLII.
 æmulos & inimicos graues habuit, maximè, Ioannem Comitem de Marca & Areburgh, Nobilesq;
 quosdam consortes, castrorum Caldenfels, Reiffenberg, VVaetzberg, Zipensfelt, Montfort &c. à
 quibus sæpè numero armis lacessitus fortiter tamen restitit. Vno conflictu ex ea nobiliū manu, qui ca-
 strū Reiffenberg insidiebant. 80. penè equites cepit & duriter habuit, Ioannem Hurde de Schoneck fi-
 nibus Eiffliæ præpotentem & pertinacem æmulū auxilio Ruperti Comitis à Virnenburg ex impro-
 uiso aggressus, castra illi & oppida Hildesheim, Manderscheidt, & Schoneck Eiffliæ, triduo ademit.
 Anno Christi 1452.

MANDERSCHET Inferior, ad Lesarem amnem in Eiffliâ bonis optimi situs commodita-
 tibus gaudens, ad Illustrissimam Generosorum Comitum de Manderschet familiam pertinet.